



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

DLXVIII. Bischof Hermann von Schwerin entschuldigt sein Außenbleiben
auf päpstliche Ladung unter Anderem damit, daß durch den Tod des
Markgrafen von Brandenburg seine Diöcese voll Verwirrung, Krieg ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

DLXVIII. Bischof Hermann von Schwerin entschuldigt sein Außenbleiben auf päpstliche Ladung unter Anderem damit, daß durch den Tod des Markgrafen von Brandenburg seine Diocese voll Verwirrung, Krieg und Zwietracht sey, im Jahre 1321.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo Domino Johanni, sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo Pontifici, Hermannus miseratione divina Zwerinensis ecclesie Episcopus cum humillima reverentia devota pedum oscula beatorum. Noscere dignetur Sanctitas vestra, quod, cum nuper ad instantiam reverendi patris domini Johannis Archiepiscopi Bremensis per Sanctitatem vestram predictam ad Romanam curiam personaliter evocatus ad veniendum et comparandum juxta mandati vestri tenorem me et mea pro posse disposuissem, venerabilis pater Dominus Hinricus Episcopus Lubicensis, qui paulo ante iter ad dictam curiam veniendi propter evocationem eandem arripuerat, statim post itineris sui arreptionem omnibus bonis et rebus suis mobilibus et immobilibus totaliter extitit spoliatus, municionibus etiam et fortalitijs suis quibusdam per injuriatores eiusdem violenter occupatis. Et idcirco, quia fide dignorum relacione veraci informacione ad noticiam meam devenit, quod si diocesin meam vel patriam exirem, similes spoliatio ac injurie irrogacio michi et ecclesie mee in bonis, rebus et castris nostris evenirent, cogor comparicionem meam hac vice retardare. Item quedam castra ecclesie mee, videlicet Butzowe et Warin, per dolosas machinationes quorundam injuriatorum meorum contra voluntatem meam detinentur inique, pro quorum castrorum recuperacione ad presens laboro, sperans auxiliante domino ea ad possessionem ecclesie mee revocare. Dicitur etiam in patria ista et verifimiliter timeo, credulis plurimorum relacionibus informatus, quod nobilis vir Hinricus, Magnopolensis et Stargardie dominus, in cujus temporali dominio major pars proventus et reddituum meorum et ecclesie mee est locata, intendat et deliberaverit, pro anno presenti omnes fructus, redditus et proventus Episcoporum, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum piorum locorum, in temporali suo dominio situatos, totaliter rapere et suis usibus applicare. Est nichilominus patria ista, propter obitum magnifici viri, Marchionis Brandenburgensis adeo plena turbationibus, discordiis et guerris, quod si ad presens me abesse contingeret, ecclesia et diocesis mee destructionem irrecuperabilem evadere non valerent. Cum igitur ex causis et impedimentis predictis et alijs quam plurimis, que specialiter expressate tedium legendi inferrent, non audeam ad presens, me ab ecclesia mea absentare, Supplicatur Sanctitati vestre predictae, ut de consueta Sedis Apostolice benignitate me a personali comparitione hac vice excusatum habere dignetur, cum omni studio et labore intendam, qualiter, sedatis turbationibus et passionibus predictis; valeam Sanctitatis vestre mandatis devote et humiliter obedire, Constituens, faciens et creans Magistrum Andream dictum Stephani, Canonicum Hamburgensem Bremensis diocesis, meum verum et legitimum procuratorem et nuncium specialem ad allegandum et proponendum excusationes etc. — Actum et datum Butzowe.

Vollständig in Rubloff's, Cod. dipl. Meg. II, 318—322.